Sed cum eius dem correptionis hora transisset. transiebat protinus
et superducta gravitas honestatis. moxque ad levia verba redie-
bat; puellarum gaudebat societate laicarum. eique persona val-
de onerosa erat. quaecumque huic mundo dedita non erat;
Quadam vero nocte huic tarsillae amitae meae. quae inter soro-
res suas virtute continuae orationis, afflictionis studiose, ab-
stinentiae singularis, gravitate venerabilis. in honore et cul-
mine sanctitatis excreverat. Sicut ipsa narravit. per visionem
atavus meus felix huius romanae aecclesiae antistes apparuit.
eique mansionem perpetuae claritatis ostendit dicens. Veni quia
in hac lucis suscipio mansione. quae subsequente mox febre
correpta est. ad diem pervenit extremum et sicut nobilibus fe-
minis virisque morientibus multi conveniunt qui eorum proximos
consolentur; Eadem hora eius exitus multi viri ac feminae eius
lectulum circumsteterunt inter quas quoque mater mea adfuit.
Cum subito sursum illa respiciens. ihm venientem vidit, et cum
magna animi adversione, coepit circum adstantibus clama-
re dicens. Recedite recedite ihs venit. Cumque in eum inten-
deret quem videbat. sancta illa anima carne soluta est. Tanta-
que subito flagrantia miri odoris aspersa est. ut ipsa quoque suavi-
tas cunctis ostenderet. illic auctorem suavitatis venisse.
Cumque corpus eius ex more mortuorum ad lavandum fuisset
nudatum. longae orationis usu in cubitis eius et genibus camelo-
rum more inventa est obdurata cutis excrevisse. et quid
vivens eius spiritus semper egerit caro mortua testabatur. Haec autem
gesta sunt ante domini natalis diem. quo transacto mox emeli-
anae sorori suae per visitationem nocturnae visionis apparuit di-
cens; Veni quia natalem domini cum sine te feci. Sanctum theopha-
niae iam tecum faciam. Cui illa protinus de sororis suae gordianae